

tentiã, arbitrentur, quemadmodum infra etiam examinabimus. Plures etiam inter illos aperte asseruerunt, Henochum in Cælo versari, quod cum Jesu Christo ascenderit, quamquam certum constituerent, superstitem adhuc è mundo migrasse.

Cum Author Libri Sapientia de immatura Justi morte differeret, posuerat illo quidem ante oculos narrationem Moisaicam de translatione Henochi. Nec tamen inde cogitur fateri, in eam illum fuisse sententiã, ut interisse virum crederet. Cum enim agendum sibi proponeret de Justo in primo ætatis flore sublato, ipse argumenti status posebat, ut de illo usurparet quæ Moyses de Henoch non dum provediã ætate translato, nondum, inquam, provediã, si ætatis ejus anni 365, cum nongentis, vel circiter annis ætatis cæterorum Patriarcharum comparantur. Tandem S. Paulus ad Hebr. 11. 5. omnibus remotis ambagibus pronunciat; Fide Henoch translatus est, ne videret mortem; & non inveniebatur, quia tulit illum Deus. Posterior igitur hæc sententiã de translatione viri adhuc superstitis tanquam fide certa tenenda est.

Græci pariter & Latini Patres cum Judæis Authoribus plerisque docuerunt, Henochum superstitem adhuc in deliciarum locum translatum fuisse. Superstitem in Cælum elevatum ferunt Paraphrasæ Chaldæi. Jonathan filius Urielis habet translatum illum ad Cælum Dei iussu, in generationibus Terræ esse desisse; ibi verò appellari Metatron, & magnum Cancellarium. Onkelos apertissime: Et non apparuit, & non occidit eum Deus. R. Hiscuni (2), aliique nonnulli tenent translatum illum in anima pariter & corpore, esse demum restituendum tempore venturi in Mundum Redemptoris.

R. David (a) translatum asserit in Paradisum terrestrem unã cum Elia; quod tenere se dicit ex sententiã vulgò apud Judæos & viros doctos Synagoge receptã. Nec dissentit R. Gerson; receptum è mundo, sicut Eliam, in turbine ignis affirmat Akiba. Per Angelum translatum censet S. Chryostomus [b]; in igneo curru, nempe ut ipse explicat, Angelorum ministerio, sicut postea Elias, habet Author Libri de Trinit. inter Opera S. Ambrosii.

S. Clemens Romanus in priori Epistola ad Corinthios docet, Henochum obedientia suã & fidelitatis merito translatum fuisse; nullibi autem scriptum de ejus morte reperiri. Author Constitutionum Apostolicarum semel & iterum scribit, noluisse Deum ut Henoch gustaret mortem (c); & cum eam sententiã reperat in formula, quam recitat, Liturgiã, demonstrat id apertissime, quid communis Ecclesiæ sententiã teneret. S. Irenæus (d) translatum Henochum perhibet, & hodie usque servatum, in testimonium iusta ultionis à Deo de Apostaticis Angelis exacte.

Tertullianus advers. Judæos hæc habet in rem nostram: Necdum mortem gustavit, ut æternitatis candidatus. Et de Anima c. 51. de Henoch & Elia scribit: Nec

mors eorum inventa est, dilata scilicet, ad finem nempe sæculorum, ut deinde immortalitati resurgant. Vivere illum adhuc, ne dubitat quidem S. Cyprianus (e). In exitu mundi statuendos in medio Henochum, & Eliam, & ab Antichristo interficiendos definit S. Hilarius in Matth. c. 20. Vivunt ergo adhuc.

S. Hieronymus in Amos 9. insinuat, videtur, Henochum ascendentem ad Cælum Jesum unã cum Moysè, & Elia comitatum fuisse, adeoque æternã ibi gloriã donari; sed & ibidem pariter scribit, ascendisse illum unã cum S. Paulo, qui ad tertium usque Cælum raptus fuit; ex quo satis intelligimus, nequaquam egisse S. Doctorem de translatione immortalis corporis in Cælum, cum maxime alibi de Henoch & Elia ita disserat (f): Necdum mortui, & Paradisi jam coloni, habent membra, cum quibus rapti sunt & translati. Tradit insuper in Epistola ad Marcellam (g), utrosque illos Prophetas necem in exitu mundi manere, qualis in Apocalypsi cap. 11. 3. &c. describitur.

Hilarius Diaconus Author Commentarii inter Opera S. Ambrosii in 1. Cor. 4. 9. scribit, Henoch & Elia in Antichristi persecutione interituros, quorum etiam projicienda cadavera in forum, ut horrori sint intuentibus. S. Ambrosius, cuius textum supra laudavimus, subobscure insinuantem & Henochi obitum, & translationem in Cælum, satis aperte præfert posteriori hanc sententiã, cum virum illum socium adjungat Elia, superstiti utique, nemine refragante (h). Cum autem ambos Prophetas in Cælo constituit, hanc ille sententiã tenet, quam ante ipsum plures adoptasse supra animadvertimus. Et in Lucam 13. ad finem ita disserit: Henoch verò nonne manifestum pietatis Dominica, & divinitatis indicium est, eo quod nec mortem senserit Dominus, & ad Cælum remeaverit, cujus generis author raptus ad Cælum est? Ascensionem Jesu Christi in Cælum typo quodam exprimere Henochum S. Gregorius Magnus hom. 29. in Evang. num 6. asseruit eadem phrasi, qua Ecclesiastici Scriptores frequenter.

S. Augustinus de Gen. ad lit. 19. c. 6. ne ambigit quidem, virum hunc & superstitem ex hominibus migrasse, & modèram vitam agere ab omni morborum & senectutis incommodo tranquillam; rediturum tandem in Mundum, quò commune mortalium omnium fatum, mortem scilicet, subeat, resurrecturum deinde ad vitam immortalem. Et in Lib. 1. de Peccator. merit. c. 3. tenet, Henoch & Eliam immortalitate quidem non donari, verùm superstites adhuc, & nullã cibi indigentia laborantes vitam eã planè ratione sustentare, qua Elias in prolixã 40. dierum inedia; vel si fortè cibos capiunt, ita se tamen in eo gerere, quomodo Adam in Paradiso terrestri ante crimen admissum. Tandem non invitum persuaderi se dicit, translatos illos in hortum Eden; documentum autem exhibere, quid Adam & Eva sperandum fuisset, si

c Cyp. seu alius de montib. Sina & Sion advers. Judæos.

f Advers. error. Jo. Jerosol. Vide & l. 3. cont. Pelag. Hanc communem mortem, qua & bruta solvantur animalia, Henoch, & Elia nondum vidisse cognoscimus. g Epist. 147. pag. 347. vet. Edit.

h Epist. 38. pag. 942. n. 7.

quidem in fide Dei jubentis mansissent. Post asserta aded testimonia, frustra alia in causam adduceremus: quare statuamus oportet, vivere adhuc Henochum, prodigio quodam ex hominibus translatum; frui autem gustu quodam anticipata beatitudinis; mortem extremã die se manentem opperiri postquam ad æternam felicitatem admittetur.

Quoniam verò Henoch translatus est? Non convenire in loco illo assignando Veteres jam animadvertimus. Collocant alii virum in Cælo, alii in Paradiso terrestri, alii judicium suum eã in re suspendunt; rati otiosè admodum supervacaneam hanc quæstionem, nullã satis assertã authoritatè definiendam, tractari. Latini Textus Libri Ecclesiastici translatum in Paradisum præfert; sed deest illud, in Paradisum, in Græcis Originalium loco habitus; quando autem admittetur, de significatione hujus nominis ex integro quæstio repararetur.

Refert S. Irenæus l. 5. c. 5. Discipulos Apostolorum docuisse, Henoch & Eliam vitam agere in horto Eden, ubi olim primi parentes vitam duxerunt tranquillam; ibi autem manere eos, qui translati sunt, usque ad consummationem. Hæc ex Discipulis Apostolorum recepta sententiã obtinuit deinde in Ecclesia. Pseudo Justinus in Quæstionibus ad Orthodoxos q. 85. habet, viros illos sanctissimos in obitu Jesu Christi revocatos ad vitam, & ab incolis nonnullis Sanctæ Civitatis per visum spectatos (i), vivere nunc etiam in Paradiso terrestri, unã cum Henoch & Elia generalem resurrectionem opperientes, postquam ad vitam undequaque immortalem transferentur.

i Matt. 27. 53.

S. Augustinus, quamquam alioqui maxime cautus in ferendã de rebus dubiis sententiã, asserere tamen videtur, Henoch & Eliam in Paradisum terrestrem translatos, ibi versari (k); Nam quò eos credendum est fuisse translatos, nisi ubi est ipsum lignum vite, unde illis sit potestas vivendi, nec ulla moriendi necessitas? Frui autem illos credit omnibus concessis olim Adamo privilegiis, quorum pariter in consortium venissent cæteri Adami posterii, si quidem primus ille hominum parens admissio crimine duram mortis necessitatem sibi & posteris non subisset. Addit, in eo vitæ statu Deum viros illos sanctos in innocentia ita continere, ut necessariò peccatum non admittant, nec illorum exaudiantur illæ voces: Dimitte nobis debita nostra. Nec tamen ita se persuasum exhibet S. Doctor de mora Henoch & Elia in Paradiso terrestri, ut quæstionem illam in utramque partem agitari non posse teneat (l). Credimus, ait Augustinus, vivere adhuc illos in mortali corpore; integrum autem nobis esse ducimus, ut quæramus an in Paradiso degant, vel alibi.

Pseudo Isidorus in Tractatu de vita & morte SS. c. 3. S. Thomas (m), aliique plures (n), translatos tenent Henoch & Eliam in Paradisum terrestrem. Verùm S. Athanasius [o] autumat, Henoch translatum fuisse in Paradisum, quò raptus est

De peccat. Origin. contr. Pelag. & Cælest. c. 23. n. 27. m D. Thom. 1. p. q. 102. art. 2. ad 3. & 3. p. q. 49. art. 5. ad 2. n Cedren. p. 8. Chronic. Alexandr. Bedæ de Templo Salom. c. 19. p. 38. o De Synod. Nicen. decret. p. 214. nov. edit.

Differt. Calmet Tom. II.

S. Paulus, & qui Latroni post obitum Jesu Christi patuit: tenetur autem, S. Paulum ad Cælum raptum fuisse, eoque pariter introductum Latronem cum Jesu Christo post resurrectionem. S. Ambrosius epist. 38. primæ classis scribit, Henoch divitias suas in cælestes thesauros transtulisse. S. Hieronymus (p) asserit de Henoch, & Elia, inter cælestes cives admissos, in Paradiso versari, ubi vescuntur cælesti pane, & saturantur omni verbo Dei, eundem habentes Dominum, quem & cibum. Asserit tandem Josephus Antiq. l. 1. c. 4. ad Deum perrexisse illum, ex quo factum, ut ejus mors nullibi scriberetur.

S. Gregorius Magnus (q), & post illum Rupertus Abbas, nihil satis certi determinantes, notant, versari illum in loco quodam sancto hujus terræ in tranquillo animæ & corporis; rediturum postea in consummatione mundi inter homines, ut inditum omnibus mortis tributum solvat. Tertullianus de Resurrect. carnis c. 58. de Henoch & Elia habet: De orbe translato, & hoc ipso jam æternitatis candidatus. S. Chryostomus sive de loco sive de ratione translationis quæstionem institui curiosus verat (r); satis enim habere nos monet, si teneamus superstitem illum à Deo translatum, versari in loco quodam Deo tantum noto, cæteris incognito. Eadem observat Theodoretus q. 45. in Gen. Satis est nobis, ait, si illa cognoverimus quæ nobis Deus in Scripturis suis relevavit, nec ulterius inquirenda, quæ latere ille nos voluit. Scitè admodum sententiam suam eã de re proferunt Theophylactus & Oecumenius (s). Tenemus, inquit illi, Henoch translatum fuisse, vivere adhuc scimus; sive autem rationem translationis, sive locum, quò translatus est, ignoramus. Nec aliter nobis in re præsentī statuendum est: Quæ enim S. Irenæus tanquam à Discipulis Apostolorum recepta perhibet, de translatione nempe Henochi in Paradisum terrestrem, fortè aliquid sapiunt de errore Millenariorum, invalescente plurimum in illo Ecclesiæ exordio; quippè cui fidem adtruxerit authoritas Christianorum ex Judæis, qui se Apostolorum Discipulos jactabant, quamquam Apostolicæ doctrinæ parum omnino tenaces.

Opinionem suam de translato Henoch, & Elia in ipsum eundem Paradisum, quò raptus olim S. Paulus, & probus ille Latio introductus, opinionem, inquam, illam accepto retulisse videtur S. Athanasius ex illo S. Irenæi, constituentis Henoch, & Eliam cum reliquis Justis in horto Eden; quò pariter raptum credit Apostolum. Porrò horti Eden nomine intelligendus est Paradisus terrestris, juxta Millenariorum & Veterum etiam complurium sententiã. Terrestrum hunc Paradisum constituit Origenes in tertio Cælo, quo raptus Apostolus [t]. Origenem sequitur S. Ambrosius de Paradiso. c. 3. Moyses Bar-Cepha in suo Libro de Paradiso terrestri illum constituit terram inter & firmamentum medium, eoque introductum probi illius Latronis Spiritum. Idem suspèctes in Lucubrationibus

q Hom. 29. 12. Evang. r Homil. 21. in Gen. s Theophylact. & Oecumenius in Hebr. 11.

t Vide Huet. Origenian. l. 2. q. 12. ar. 7.

N n n a

Se-

2 Vide Drufr. de Henoch. 1. 1. p. 2. pag. 379. Crit. Sacr.

a In 2. Reg. 2. 1.

b Chrisof. t. 5. homil. 138. p. 877.

c Constitut. l. 5. c. 7.

d Iren. l. 4. c. 16. & l. 5. nov. edit.



Severiani, & Enlogiani, qui non alium locum constituunt animabus Sanctorum, quae ex hoc mundo secesserunt. S. Hieronymus in quaestionibus Hebraicis in Genesim censet, Paradisum terrestrem ante creatum mundum fuisse; collocat ergo eum locum extra mundum; vel saltem ita tenent Hebraei. Satis haec, quantum arbitror, ad excusandam sententiam S. Irenaei, & S. Athanasii; nec alia fuit mens S. Ambrosii, & S. Hieronymo, docentibus, Henoch & Eliam ad Caelum ascendisse; vix enim persuaderemur, SS. illos Doctores superstitibus adhuc homines, quos ad diem certam manebat interitus, constituisse voluisse in destinata Angelis, immortalitate donatis hominibus gloria & sede.

ARTICULUS III.

De regressu Henoch in mundum, in saeculi consummatione.

EX his, quae huc usque disseruimus, satis animadvertisse arbitror Lectores receptam inter Patres sententiam tenere, Henoch, & Eliam non jugem tantum degere non vitam, sed & statuendos pariter certâ die in praelium contra Antichristum, ac tandem perimendos ab adversario illo omnium Sanctorum, restituendosque post haec in vitam & gloriam immortalem. Utrisque illis viris accommodant illud Apocalypsis 11. 1. &c. quo Dominus praecepit S. Joanni, ut Templum & Altare cultoresque illius metiretur; abstinere autem ab attritu & Templi ambitu, quod scilicet Gentium potestati relinqueretur, à quibus Urbs sancta pedibus proculcanda esset mensibus duobus & quadraginta: Sed adiecit Dominus, dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti facies. Hi sunt duo oliva, & duo candelabra in conspectu Domini terra stantes. Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum. Hi habent potestatem claudendi Caelum ne pluat diebus prophetiae ipsorum; & potestatem habent super aquas, convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint. Et cum finierint testimonium suum, bestia, quae ascendit de abyso, faciet adversum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos: & corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magna, quae vocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est; & videbunt de Tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium, & corpora eorum non sinent poni in monumentis. Et post tres dies & dimidium spiritus vita à Deo intravit in eos: & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui viderunt eos.

Frequentes aded Patres & Interpretes in hanc sententiam concesserunt, ut estimari satis non possit Recentiorum quorundam audacia, quibus omnia quae de

regressu in mundum Henoch, & Eliam ad exitum saeculorum feruntur, commenta reputantur. Notat Suicerus (u), Ravanelum in Bibliotheca sua v. transferre ea proferre, quae fabulam de reditu Henoch apertissime exfuffant. Ravanelum ego quidem non legi; legisse me tamen profiteor Scripta Patrum, & Veterum Ecclesiae Authorum, quorum neminem apertis verbis rem illam negantem offendi; plures quin etiam luculentissime asserunt: & quicumque alteram sibi interpretandi Textum Apocalypsis methodum struunt, duos testes interpretantur Eliam & Moysem, vel Eliseum, vel S. Joannem Baptistam; quorum assera mors in Scriptura; sive Jeremiam, cujus mortem licet conceptis verbis Scriptura non exprimat, nihil tamen habet ut superstes credatur. Si quis ergo in mundum iterum rediturus est, id profecto privilegium Henoch asserendum, quem translatum discimus ex Textu Moisaico, sicut & vitam adhuc agere ne ambigendi quidem ullus est locus, post Apostoli ad Hebr. 11. 4. testimonium: Fide Henoch translatus est, ne videret mortem.

Veteres ferè omnes & Recentiores, qui in Apocalypsim scripserunt, uti Andreas, & Aretas Episcopi Cæsareae in Cappadocia (x), Beda, Primasius, Berengarius, Ambrosius Antpertus sive Ansbertus, Haymo Halberstadenfis, Hugo de S. Caro, Dionysius Carthusianus, Vatablus, Vega, Ribera, Cornelius à Lapide, & alii. Quicumque pariter scriptis Operibus de Antichristo dissererunt, ut S. Hippolytus Martyr, Rabanus Maurus, Adson Derivensis Abbas in Diocesi Catalaunensi, cujus est Liber impressus in Appendice sexti tomi novae Editionis S. Augustini, & alii plures, tanquam certâ & continuatâ traditione à praeis acceptum notant futurum, ut Antichristus pugnet adversus duos testes, Henoch, & Eliam, vivosque trucidet; quos testes, juxta Apocalypsis testimonium, tenent poenitentiam genibus predicaturos sacco indutos 1260. dierum spatio (y). Post dierum illam periodum, inquam, duo testes in medio Urbis Jerusalem jugulabuntur, & honore sepulturae privati jacebunt, donec recepto vita spiritu à Deo dias iterum auras spirabunt.

S. Irenaeus l. 5. c. 5. de Henoch & Elia, in Paradiso terrestri versantibus agens, commemoraturos ibi docet usque ad mundi consummationem. Tertullianus de Anima c. 50. Caterum morituri referuntur, ut Antichristum sanguine extinguant. S. Hilarius in Matthaeum cap. 20. pag. 710. de Moyse & Elia transfigurationis Jesu Christi testibus agens, Hos quidem, ait, eosdem Prophetas duos praevenientes adventum ejus intellegimus, quos in Apocalypsi Joannes ab Antichristo perimendos esse dicit, licet varia vel de Henoch vel de Jeremia plurimorum fuerint opiniones, quod alterum eorum, sicut Eliam, mori oporteat. Ephrem Patriarcha Theopolitanus, vel Antiochenus apud Photium Cod. 229. tradit, Henoch, Eliam, & Joannem Baptistam post diuturni admodum temporis vitam, morte tandem

u Thesaur. Eccles. in Enoch. Ita & alii, ut Drus. in Henoch, & Calviniani.

x Andreas in Apoc. 11. 1. 6. Biblioth. PP. & Aretas in Apoc. 11. 1. 9. Biblioth. PP.

y Apoc. 11. 3. &c.

dem interituros, sed in istu tantum oculi, ut iterum ad gloriam resurgant. S. Ephrem Syrus, Sermone de adventu Christi & Antichristi, Dei miserantis pietate committendum dicit, ut Henoch, & Elias Antichristo opponendi, ejusque doctrinam refutaturi, minas & saxitiam repressuri, proximum Servatoris adventum annunciatum, veniant in mundum.

Hilarius Diaconus (z) observat, viros sanctos nunquam non persecutionibus vexari, ut Enoch, & Elias, qui à Deo missi adversus Antichristum in mundi exitu pugnaturi sunt, quos & persecutiones pati, & occidi lesio Apocalypsis testatur. S. Ambrosius in Psal. 95. n. 10. bestiam ex abyso egredientem, nempe Antichristum, adversus Henoch, Eliam, & Joannem Baptistam, testes à Deo pro Jesu Christo mittendos, ut docet Apocalypsis, pugnatam testatur. Nomen S. Joannis Baptistae legas, quemadmodum in Editionibus nonnullis, ita pariter in Mss. quibusdam, quamquam minori numero, ut observant Authores postremae Editionis hujus S. Doctoris. S. Joannes in Apocalypsi non nisi duorum testium meminit; & Evangelii autoritate compertum est, S. Joannem Baptistam capite obruncatum ab Herode; ejus ergo nomen superfluum in Textu videtur.

S. Hieronymus consuluerat Marcellam (a), an singuli homines morti & resurrectioni destinentur, quando juxta Apostolum coram Jesu Christo in aera producendi erunt (b). Ambigebat illa, num Henoch & Elias ipsi pariter inter mortuos futuri essent; quippe quos occidendos ab Antichristo notet S. Joannes in Apocalypsi. S. Hieronymus ultro admittens veritatem eorum, quae de adventu & morte duorum Prophetarum scripserat Marcella, respondit, eos qui forte superstites ad illum Domini adventum pervenient, coram Juce elevandos in corpore, novis dotibus gloriae & immortalitatis auctos. Paria docet S. Augustinus contra Julian. l. 6. c. 39. haec habens de Henoch, & Elia: Creduntur ad exiguum temporis redituri in has terras, ut etiam ipsi cum morte constigant, & quod primi hominis propagini debetur, exsolvant. S. Gregorius Magnus (c): Henoch, & Elias ad mundum revocabuntur, & crudelitatis saxitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt.

Pseudo-Profer in Libro de Promissionibus & Praedictionibus c. 13. docet, eâ planè ratione, quâ Moyse, & Aaron legatione ad Pharaonem functi sunt, & adversus illos Jamnem & Mambreum Diaboli opposuit; ita pariter adversus Antichristum à Deo missi stabunt Henoch & Elias, quibus tres Pseudo-Prophetae ab eodem Diabolo opponentur. Testium agmen claudet Cedrenus, Philippus Solitarii (d), S. Joannes Damascenus (e), in Patrum illorum sententiam concedentes. Tradit enim S. Damascenus, venturos in mundum Henoch & Eliam, & ut Antichristo resistant, & cor Patrum ad Filios reducant, id est, Synagoga ad Ecclesiam,

z Ambrosiast. in 1. Cor. 4.

a Hieron. ad Marcellam Epist. 148. p. 347. Ver. Edit. b 1. Thessal. 4. 16.

c In Job cap. 18. l. 14. c. 22. Vide & in Ezechiel. hom. 12. l. 1. p. 2295. ver. 7. 8. 9.

d Diopt. Rei Christ. in Biblioth. PP. 10. 21. pag. 592. 593. e Lib. 4. c. 27. pag. 300. D.

& Judaeos ad Christianos; quo sancti munere, ait, ab Antichristo interficientur, statimque Dominus toto Majestatis apparatu, & naturae humanae exuviis ad gloriam circumdatus, eâ planè specie, qua ad Caelum ascendentem viderunt Apostoli, in terram descendet.

Hanc tamen tot virorum doctissimorum suffragiis firmatam sententiam nunquam Ecclesia inter articulos fidei recepit, sive à fidelibus communi assensu probata est. Opinio est enim Theologica, cui repugnare, salvo veterum Patrum & Authorum Ecclesiasticorum, qui pro illa steterunt, obsequio, nunquam non licuit. Suspiciantur aliqui, duos illos Testes apud S. Joannem, esse Moysem & Eliam, Legem & Prophetas [f]. Tenent alii (g), nomine illo duo designari Testamenta, Vetus & Novum, & utriusque Doctores ac Praedicatores. Alcafarius stat pro Moyse & Elia, sapientiâ nempe & zelo primitivae Ecclesiae testimonium ferentibus Jesu Christo; Moyse enim divinam ejus sapientiam commendat, Elias sanctitatem & zelum.

De Elia & Eliseo, sive Elia & Moyse dictum explicat Victorinus Petaviensis (h), sed obiisse Moysem & Eliseum tantum certum est, quàm quid aliud. Cùm de Jeremiae morte nullibi scriptum reperitur, Veteres omnes autumant, ait idem Scriptor, Jeremiam alterum esse de Testibus S. Joannis. Tres, non duos testes assignant Ephrem Patriarcha Antiochenus, & S. Ambrosius, nempe Henoch, Eliam, & Joannem Baptistam. S. Hilarius stare se significat pro sententia, quae Moysem & Eliam tenet; quamquam fatetur, aliorum opinionem praeferre Henoch sive Jeremiam. Moyse & Elia favent pariter Gagnæus, Catharinus, Maldonatus in Matth. 17. & Joachim Abbas.

Apocalypsis Oraculum non de futuro, sed de transacto tempore ita intelligunt aliqui, ut duorum testium nomine designatos credant Jesum Christum & S. Joannem Baptistam. De Sylvestro Papa & Menna Patriarcha Constantinopolitano; contra Eutichetis Heresiarcho sese opponentibus, exponunt S. Antoninus, Lyranus, & Aureolus (i). Quae sententiarum varietas satis indicat, amplam cuique dari opinandi in hac re facultatem.

Ex his quae huc usque disseruimus, statuendum arbitror, primò, quamquam nihil certi statui potest de translatione Henoch ex verbis Moisaicis; rem tamen extra controversiam ponere tum Apostoli Pauli oraculum, cùm Ecclesiasticae traditionis auctoritatem; quibus utique docentibus intelligimus, tanquam fide certum tenendum esse, virum hunc superstitem adhuc usque manere. 2. De pietate & virtute hujus viri nullum esse ambigendi locum; quidquid sentiant in contrarium Rabbini; versari autem modò in eo rerum statu, in quo, licet mortali corruptioni obnoxius sit, nulli tamen cordis corruptioni obnoxius sit. 3. Quamquam non constare satis ex sensu Patrum & Interpretum de loco trans-

f Arias Montanus & alii. g Pannonus.

h Biblioth. PP. 1. 3. pag. 418.

i Ita Ubertini, & Michael, & Estiginger in Pentaplo. 109.